





Q. R. B. V.

POSITIONUM JURIS FEUDALIS

Exercitatio Secunda,

DE

NATURA, ET
DEFINITIONE
FEUDI,

Quam

PRÆSIDE

CASPARE HEINRICO HORNIO,

J. U. D. Pandectarum P. P. atq; Collegiorum

Juridicorum, quæ hic sunt, Adfessore.

D. V. Augusti MDCXCIII.

In Auditorio Jctorum

publice defendet

HEINRICUS FOCK,

Lubecensis.



VVITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.

1693 38.56
8





I. N. D. N. J. C.

I.

Vocabulum Feudi an rei coævum sit, dubitant multi. *Seldenus in Glossario post Historiam Angliæ* ante annum M. in nullo monumento non suspectæ fidei se nomen Feudi reperisse, memorat. Sed beneficii vox illis temporibus in usu fuit. Locus in *Godofredi Viterbiensis Chronico*, quo Carolum Marcellum omnium primum decimarum Ecclesiarum consensu Papæ Zachariæ militibus in *Feudum* dedisse, pro Ecclesiæ Dei necessitate traditur, nihil ad rem facit: cum Autor rem voce sui ævi potuerit designare. Ut nil dicamus de fide hujus Scriptoris. *B. D. Stuvius* hanc vocem Caroli III. 5. Crassi tempore in usu fuisse docet; atque in partes vocat famosam illam Constitutionem, quæ huic Imperatori vulgo tribuitur, à *Welfero* in M. S. quodam Codice veteri inventam, à *Rittershusio* publicatam, & à *Frebero* notis illustratam. Quoniam verò Constitutio hæc supposititia est, quod doctissimi Viri *Conringius ad Lamp. p. 3. c. 4. de Orig. J. G. c. 17. p. 164. Boecl. in Hist. Sec. IX. & X. & Not. Imp. L. 15. c. 2. & post hos Dn. Ombrecht in Dissert. de Expeditione Romana* egregiis rationibus docuere; nullum inde argumentum peti potest. In Constitutionibus, quas *Ex. I. c. XI. Lothario I.* asseruimus, semel vox *Feudi* 1. F. 21. occurrit; cum alias semper beneficium reperiat. Quid vetat ergo dicere ante Caroli Crassi ætatem Lotharii I. ævo jam inclaruisse hanc vocem? Antiquiora monumenta hac in re nobis non suppetunt.

II. Circa derivationem vocabuli *Feudi* Dd. ingenio suo mirificè indulgent; nonnulli interdum, dum varias allusiones adferunt, svaviter delirant. Quibus parum abest quin accensendus *Bodinus de Republ. L. 1. c. 8.* qui ex literis sequentibus initialibus: *Fidelis ero Domino vero meo, Feudum*

A 2

dum

dum dictum esse putat. Nos hac in re, quæ solis conjecturis nititur, nil certi tradi posse putamus: nec laborabit, speramus, patriæ salus, sive hanc, sive illam amplectamur sententiam. Si tamen aliquid dicendum, ex *Fide* cum *Feudista II. F. 3.* interim dicamus derivatum Feudum, non quidem vocabulo latino puro & illibato, sed civitate Lombardica donato, scilicet à Fe, Fede. Planè probabilior hæc derivatio, quàm illa, quæ *II. F. 10.* circa Vocem Marchiæ habetur. Conferri hic merentur, quæ apud *Struvium, Eybenium & Rhetium habentur.* Illud certum est, nullum piaculum esse, uti hac voce recepta usu, & rem significante incognitam veteribus Romanis. *Vossius III. de vitiis Germ. L. 1. c. 7.*

III. Vocabulum germanicum *Leihen* vel *Lehnen* etiam in rebus Allodialibus & Ecclesiasticis usurpatur, & in genere denotat quamcunque concessionem vel collationem alicujus Juris, quatenus concedenti aliquod Jus reservatur, vel in Imperio, vel Superioritate territoriali, vel in Jurisdictione, vel in Jure Patronatus consistens. *conf. Const. D. Aug. 39. P. 2. dec. 61. Eybenius in electis Juris Feud. c. 6. §. 7. & Dn. Ziegl. de Jure Eccles. c. 5. §. 20.*

IV. Bona allodialia immediata Principes & Ordines Imperii possidere ex *art. 39. Capit. Leop. & art. 38. Cap. Joseph.* patet, variaque exempla adducit *Ill. Dn. Eyben. in Elect. Feud. c. 6. §. 6.* quorsum etiam referenda sunt *Bipontium, Castrum & oppidum, Montistaberna castrum & oppidum, Hornbachium Castrum & oppidum cum pertinentiis.* Id quod satis probant monumenta juncta *Gravaminibus Bipontinis congressui Francofurtano. A. 1682.* exhibitis. Solent tamen Status Jura Superioritatis seu Regalia intuita ejusmodi territoriorum titulo Feudi recipere ab Imperatore *Illustr. Dn. à Seckendorff. S. T. St. p. 11. c. 2. n. 1.* Sed perpetuum hoc non esse *D. Eyben. d. I. §. 7.* docet, cum Regalia titulo allodiali ex privilegio vel præscriptione possideri quoque queant. *Reinking. de Regimine secul. & Ecclesiast. L. 1. cl. 5. c. 7. n. 35.*

V. Feuda Solaria ideo sic dicta volunt, quod à nemine quàm à Deo sive Sole, quem Gentes pro Deo coluerunt, recognoscantur. *Dn. Rhet. Comm. Feud. L. 1. t. 1. n. 23. p. 44. Dn. Fritsch. Dissert. de Feud. solar.* quod intelligo potissimum respectu Domini directi feudistici: respectu enim Imperii, vel Superioritatis territorialis vel Jurisdictionis inter-

interdum aliis subesse possunt. *Knich. de Jure territorii c. 1. n. 11. Cæ-*
terum talia bona non nisi abusivè Feuda dici palam est.

VI. Omnis res præsumitur allodialis potius quàm feudalis;
quia qualitas feudalis à natura non est, & sic in facto consistit, an im-
posita. *Cz. P. 1. C. 27. d. 79. Facit L. 8. ubi Glossa C. de servit. & a-*
qua 2. F. 26. §. 1. 2. F. 51. §. si contentio. Quæ assertio etiam habet
locum 1.) in Ducatibus, Marchionatibus & Comitatus. *Sixtin. de*
Regalib. L. 1. c. 4. n. 63. Anton. Disp. XV. c. 7. 2.) si bona, de qui-
bus lis vertitur, ad mixta sunt feudo, & utraque idem territorium, sive
jurisdictionis ambitum contineant. *Masquard. de Prob. concl. 79. n. 11.*
Cz. L. 1. R. 72. n. 15. Rbet. 1. t. 4. p. 216. Dissent. Berlich. P. 2. D. 178.
Quid inter Dd. Saxonicos de hac quæstione fuerit actum, recenset *Phi-*
lippi ad Dec. 37. Sed limitantur dicta, si in contrarium adsint evi-
dentes & fortes conjecturæ: quorsum referunt, si masculus in diutur-
nâ possessione fuerit constitutus, atque rem ut feudalem possederit.
1. F. 26. 2. F. 41. Carpz. P. 1. Constit. 22. Def. 8. Hartm. Pist. P. 1. qu.
39. qualis possessio & tunc intelligitur, si servitia à Vasallis Feudi no-
mine præstari solita, (quale non est præstatio annua accipitrum) in-
tuitu ejus rei ex certa scientia præstiterit masculus. *Rosentb. c. 12.*
concl. 14. Sola tamen investitura non sufficit, quoniam illa in bonis
emphytevt. & censiticis imo etiam quibusvis allodialibus quoque fieri
solet. *Conf. T. III.*

VII. Feudum variis modis accipitur, & sic diversimode quoque
definiendum est. Nos potiores & in Jure nostro Feudali occurrentes
significationes breviter enarrabimus. De aliis videri potest, si lubet *Dn.*
Eyben. Elef. Feud. c. 2. Primò significare solet rem ipsam in Feudum
concessam *1. F. 4. II. F. 8. 33 II. I. 81. & passim.* Atque huc perti-
net definitio *Duareni* aliorumque: Feudum esse *Rem immobilem, quæ*
fidei seu obsequii causa certo modo alicui fruenda traditur. II. Pro
Contractu Feudali & quidem vel solo *1. F. 28. II. F. 9. II. F. 20. ibi:*
per Feudum investiturum. II. F. 87. vel traditione consummato *II. F.*
23. de quo contractu cum alibi latius agere animus sit, definitionem
ejus eousque reservamus. III. Pro ipso Jure in re feudali per contra-
ctum & traditionem constituto *1. F. 25. Vulgo ex II. F. 23.* definitio
A 3 hujus

hujus juris petitur; sed parum aptè. Res ibi quodammodo describitur, non definitur accuratè. Quod plerique agnoscunt Feudistici Juris Interpretes. Si sine offendiculo progredi velis, distinctè hic procedas, necesse est. Aut enim Feudum 1.) pro illo Jure accipitur, quod dominus directus seu senior in Feudo habet §. 1. *II. F. 34. II. F. 9. II. F. 55. §. Præterea Ducatus.* aut 2.) pro jure quod habet Vasallus. *II. F. 1. §. f. I. F. 25. §. 1. aut 3.)* pro toto potestativo seu compositivo ex variis juriis sive potestatum (in re & ad rem) sive habitudinum moralium figuris, sive pro relatione illa inter Dominum & Vasallum, Dominum & rem, Vasallum & rem *II. F. 26. §. 1. v. defuncto.* Primo & secundo modo ita commodè describi poterit: quod sit *jus in re* { *propria* } *immobili plenissimè utenda fruenda alicui ex benevolentia Domini sub conditione mutue fidelitatis* { *reservatum.* } *Ultimo modo accepta vox Feudum erit Jus à Domino & Vasallo ex illius benevolentia in re immobili plenissimè utenda fruenda constitutum, sub conditione mutue fidelitatis.* Explicandi atque defendendi has definitiones occasionem, speramus, conflictus dabit. *Ritterh. I. F. III. Eyben. C. 11. El. Feud. Struv. c. 11. aph. 2. 3.*

VIII. Si usus fructus Vocabulum in sensu Juris Justiniani accipias, Feudum per usumfructum describi nequit. *Dn. Struv. S. J. F. c. 2. tb. 3. n. 3.*

IX. Divisio domini in directum & utile apud multos miserè vapulat, ita, ut nec docendi causa illam admittere velint. *Tilemann. Pand. part. post. §. 13. tb. 5. Ludwell. Ex. IV. tb. 4.* Nos aliter sentimus. Fatemur quoad verba illam nec in Justiniano Jure, nec Feudali reperiri; sed re ipsa in *L. 1. §. 1. ff. si ager vectigal. l. 1. §. 34. ff. de superfl. l. 3. §. 1. de R. V. II. F. 8.* latitare opinamur. Sane usus fori, & in Saxonia nostra *D. Augusti Const. 39. p. 2.* illam diu probarunt, ita ut ineptum cum *Bachowio in Not. ad Wesenb. T. de A. R. D.* illum merito dici arbitremur, qui hanc divisionem ferre non possit. Egregiè autem illam explicant *Franzk. de Laud. c. 14. n. 7. D. Struv. S. J. F. c. 2. tb. 3.*

X. Im.

X. Implicat sane rem esse pleno jure propriam, & illam à Domino ut feudum ceu Vasallum acquirere & possidere. Necessè ergo est, rem talem respectu Vasalli ante constitutionem Feudi esse absolute alienam. Post constitutionem verò secundum quid saltem, nempe intuitu Domini directi & senioris Vasallus illam tanquam alienam possidet. Nam respectu domini utilis est propria, potestque vindicari. II. F. 8. Eadem prorsus de Feudis oblati dici possunt, de quibus alibi agemus.

XI. Juxta Feudistam II. F. 1. Feudum non nisi in rebus immobilibus aut revera, aut intellectu juris talibus constitui potest. Mobiles ergo res arcentur: & illæ quidem, quæ usu consumuntur ideo, quoniam dominium directum non potest re consumptâ superesse. Quod ad illas attinet, quibus uti possumus, salvâ substantiâ, eas ob vilitatem vel exiguum usum non convenire ctediderunt Conditores Feudorum Feudali obligationi, ut sc. in iis Feudum principaliter constituatur, licet in accessione Feudi esse queant. Quales res, uti cum Bitschio opinamur, Feudista d. l. etiam intelligit per vocabula: *solo coherentibus. e. g. claves, claustrum, peritonia l. 13. §. ult. cum LL. seqq. L. ii. pr. de act. emt. servi & inquilini, qui prædiis adherent l. 112. de Leg. I. l. 3. ff. de divers. tempor. præscr.* Deinde nec res hæ perpetuæ sunt, sed deteriores fiunt, & pereunt vel naturâ vel longiori usu, sicque non adeo aptæ sunt ad Feuda, quæ in perpetuum dantur.

XII. Jura incorporalia intuitu rei immobilis competentia pro immobilibus morali æstimatione habentur, ex. gr. Jurisdictio, vel Venatio: possuntque tam cum prædio, quàm sine illo (si sc. sola usum Feudo convenientem præbent) in Feudum dari: quo quidem casu terminant se incertum territorium vel locum. *Serup. C. 2. Th. 3. vid. supra Th. IV.*

XIII. Quod Vasallus adversus Dominum de evictione agere possit II. F. 8. 25. nil impedit, quo minus Feudum beneficium ex gratia Domini & ejus benevolentia profectum dici queat. II. F. 23. *Conf. l. 1. C. de I. dotium.* Quæ ex L. 18. §. 3. ff. de don. & aliunde in contrarium adducuntur argumenta, in conflictu erunt submovenda.

XIV. Quod ab alio Vasallo emtum est Feudum Domini consensu,
sine

sine dubio respectu Domini gratuitum est, qui gratis consentit alienationi, & ex gratia novum Vasallum admittit, atque de re, quæ ad ipsum cedit noviter investit. Sed si maxime tali casu & Dominus quid accipiat, vel ob interventum pecuniæ Dominus ex re sua allodiali faciat feudalem, quam Feudum emptitium vocant Dd. beneficium tamen feudum manet. Benevolentia enim est, quod me potius quam alium Dominus vasallum velit habere *I. F. 16. 20.* Non malè dicitur pecuniam remunerandi vel honoris causa intervenire, ut fit. *L. 6. D. Mandati.*

XV. Non improbamus illorum opinionem, qui Fidem mutuum Feudisticam sc. ex contractu feudali ortam & intuitu rei immobilis divisum dominium habentis debitam pro forma specifica Feudi (in tertio significato accepti) habent *II. F. 6. Diff. quodammodo D. Eyben. c. XI.*

XVI. Fides; ergo à nullo Feudo abesse potest, semperque subintelligitur, ut ut expresse de eo non actum, *Knichen de vest. pact. p. 5. n. 7. Eyben. Elect. Feud. c. XI. §. 9.* nec quicquam obstante *II. F. 3. in fine.* Quod si ergo pactum adjectum negotio, ne Fides Feudistica præstetur; firmum quidem hoc erit *a. l. 21. C. Mand.* sed ita Feudum non erit constitutum, *a. l. 36. l. 80. §. ff. de contr. emt. L. 46. ff. Locati. L. 5. §. 1. ff. de præscr. verbis.* si sc. Feudum præcisè noluere constituere. Quod si enim animus fuit Feudum constituendi præcisè, nec aliud negotium celebrandi, adjecto tali pacto nihil actum est. *argum. l. 1. §. 4. de Const. pec. L. 1. §. 2. ff. d. V. O. Conf. Rhet. 1. F. 1. p. 112. Struv. II. Th. 6. n. 6. 7. B. D. Lyser. Diff. de Fide fidel. th. 6.*

XVII. Qui finem Feudi Fidem dicunt, nobis non adeò adversantur, quod facit *Tabor in Jchniograph. Feudi. Conf. Dn. Lyser. d. l.* In eo tamen non probamus illius sententiam, quod n. 45. dicat; obligationem fidei esse hodie remissam Capitaneis Regni, *denen hohen Mannen* / si à paribus Curia accipiant Feuda. Sed de hac re locus erit dicendi in sequentibus.

XVIII. Feudum ab Emphyteusi differt ratione formæ, finis, transmissionis, facultatis alienandi, & amissionis *Dn. Stryk. c. 11. q. 17. Rittersh. 1. F. 29. 2.* In eo vero conveniunt, quod in utroque dominum directum

directum maneat penes 'concedentem', & utile transeat solum in Emphyteutam. *L. 1. §. 1. ff. si ager veſtigal.*

XIX. Multo magis differt feudum à cenſu, ubi dominium plenum eſt penes cenſuarium. *Carpz. p. II. Conſt. 33. def. 1.*

XX. Cenſuarii dominium plenum non impedit (1). inveſtitura, quæ & in Allodialibus habere locum poteſt; nec (2) ejus renovatio, aut 3.) Laudemii præſtatio, quia illa ſaltem renovatio eſt contractus; hæc per mores ac pacta præter naturam hujus negotii adfici poteſt; nec (4) conſenſus requiſitio quoad oppignorationem *O. P. Sax 46. §. wüvde p. II. C. 23.* cum hic non ob directum Cenſitoris dominium, ſed ideo ne ille in perceptione cenſus lædatur, & ne creditores decipiantur, requiratur. Plane interdum abuſivè Cenſitor dominus directus vocari ſolet, quod fit *d. T. 46. C. 23. p. II. Conſ. Col. de Proc. Exec. p. 1. c. 10. n. 161. Carpz. p. 2. C. 23. def. Struv. C. 2. apb. 10.*

XXI. Si Dominus de prædio vel territorio, in quo ſunt bona cenſitica inveſtiat Vaſallum, Cenſuariis nihil ex dominio decedit, ſed inveſtitus tantum per inveſtituram accepit jus exigendi cenſum. Sed ſi Vaſallus ex Feudo, de quo inveſtitus, bona quædam Domini conſenſu in alium transferat, reſervato cenſu: eo caſu Cenſuarius intuitu Vaſalli transferentis plenum habet dominium: omne enim naçtus eſt dominium, quod habuit novus Cenſitor. Sed intuitu Domini Feudi utile ſaltem gaudet, quia in ordine ad hunc Vaſallus ſeu Cenſitor nullum aliud habuit, nec ita plus potuit transferre. Sane ſi Dominus Feudi conſentiat, ut plenum dominium cenſuarius conſequatur; & ſic ſuo jure cedat, quod in dubio non præſumendum, aliter foret dicendum. Cæterum ſine Domini conſenſu Vaſallum non poſſe fundum feudalem, ſeu partem in alterum transferre, & cenſum reſervare, jure feudali certiffimum eſt, cum ſine eo conſenſu non liceat Emphyteuſin conſtituere. *II. F. 9. §. 1. Roſentb. c. 7. m. 1. C. 7. n. 2.* Multi ad Conſuetudinem provocant contrariam, quæ quia facti eſt, probari debet. Poſita verò tali conſuetudine certum, eſt nil niſi, ut antea dictum, Dominium utile intuitu Domini Feudi tranſire in Cenſuarium. *Struv. d. l. Conſ. Franzk. de Laudem. c. 10.* cum quo tamen non uſquequaque nobis convenit.

B

XXII.

XXII. Census alius est reservatus, alius est constitutus. Constitutus sapius fit mediante contractu emtionis venditionis sub pacto de retrovendendo, Hic census revera mutuum est, & redditus, qui quotannis præstantur, usuræ sunt. *Besold. Conf. 58. num. 62. Corbm. V. 2. R. 52. num. 14.* Origo Clericis adscribenda, qui cum ob auctoritatem Canonum foenerari erubescerent, nec otiosam tamen pecuniam vellent, hoc pallio sunt usi. Abit hæc res in jus, nec dubitatur amplius pecuniarem hodie & licitum hunc esse contractum censiticum. Ex quo etiam est, quod ob non præstitas has pensiones annuas liceat usuras exigere, ita ut anatocismus objici non possit, cum pensiones istæ non pro usuris, sed pro sorte habeantur. *Struv. Ex. 27. tb. 51.* Sed quia sub specie hujus contractus nimium quantum usuraria pravitas occultata fuit, per Leges Imperii cautum est, non debere censum excedere legitimam usurarum quantitatem. Ita, ubi quincunces saltem licitæ sunt, centum thaleris quinque saltem annui emi poterunt. *Reform. Polit. de anno 548. tit. von wucherlichen Contracten, § 577. tit. 17.* Ob Eandem rationem volunt, non permitti emtori, ut repetat pretium, daß er die Kostündigung thue/ licet pacto ita conventum d. l. Excipitur tamen casus moræ, vid. *Habn. ad Wesenb. de usur. c. 14.*

XXIII. Datur etiam census personalis, qui constituitur in persona solius censuarii i. debitoris se obligantis ad certam pensionem sine respectu ad rem certam. Imo datur etiam mixtus, qui quidem principaliter in persona collocatur, sed cum rei unius vel plurium hypotheca, ut creditori seu censitori eo melius cautum sit. *vid. Franzk. L. 1. resol. 1. Martin. de censu.*

XXIV. Qui quæstionem tractant, utrum res in dubio censitica aut emphytevtica sit habenda, variè se torquent. Multi inter concessionem factam ab Ecclesia & à Privato distinguunt: atque priori casu in favorem Ecclesiæ pro Emphytevti præsumendum esse volunt, pòsteriori pro Censu, *Mascard. de prob. concl. 228. n. 6. concl. 651. num. 9.* Sed sine textu & ratione. Magis sunt probandi, qui per regulas sequentes se expediunt.

I. Quoties in translatione rei Dominus reservavit Dominium directum, toties contractus habetur emphytevticus, non censiticus.

II.

II. Quoties dominium plenum translatum apparet in alium, toties contractus censiticus, non emphyteuticus habendus. Ratio utriusque Regulæ ex natura utriusque negotii fluit.

III. Quoties bona sterilia sub præstatione certi canonis alteri concessa von rautcher Burgel/ confectis super eo literis investituræ, toties contractus præsumitur emphyteuticus. P. II. C. 39. quam Regulam extra Saxoniam habere quoque locum putamus.

IV. Quoties de reservatione domini directi non constat, nec alia conjectura capi potest, toties in dubio res præsumenda est censitica. Ratio, quia ea interpretatio arripienda, qua id agi potest, ut res secundum naturam suam concipiatur, vel eo redeat *a. L. 3. ff. Rel. Cr. de Natura auct. domini hæc est, ut directum & utile sit penes unum. (2) quando de privatione agit ob non solum canonem, ubi potissimum hæc quæstio locum habet, in dubio id quod benignius sequi debemus L. 192. §. 1. ff. de R. l. Carpz. p. II. C. 34. d. 8. Diss. Everhard. loco ab Emphyt. ad Censum. th. I. 25. ff. de prob.*

XXV. Contractus libellarius quid sit, optimè docent *Illustr. Dn. Stryk. qu. 29. c. 2. Cujacius I. F. 2.* Jure Digestorum incognitus est, in Codice tamen atque Novellis mentio ejus sit *L. 24. §. 1. C. de SS. Eccl. Nov. 7. pr.* vocaturque ibi Colonarius seu *περσίνιος*. Est Emphytevsi valdè cognatus, participatque, uti illa, tum ab emtione venditione, tum à locatione conductione. Differt tamen ab Emphytevsi, quod fiat interveniente scriptura præcisè & pretio. (2) renovatio sit necessaria statis temporibus, etiam non mutato possessore. (3) quod non amittatur, ob non solum pensionem, quæ omnia in Emphytevsi secus se habent. A Feudo distat ratione formæ & finis, it. renovationis, it. ratione constitutionis, quod scil. interveniente scriptura fiat.

XXVI. Jure Feudali libelli nomine contractum emphyteuticum intelligi *ex II. F. 9. §. 1. II. F. 55. II. F. 44. II. F. 39. §. 1.* colligi potest. Rationes hujus asserti tradunt *Franzk. de Laudem. c. XI. Struv. c. 2. aph. 10. n. 4.*

XXVII. Jus precariæ est ususfructus quidam illi, qui rem suam Ecclesiæ donavit, vel in ista sola, vel in aliis rebus Ecclesiæ, sive mobilibus sive immobilibus ad preces illius concessus. *Dd. ad tit. decret. de precariis.* Facile patet, quomodo à Feudo & similibus juribus differat.

XXVIII. Vox precariæ in Jure civili non reperitur, bene tamen res ipsa *L. 14. §. 5. de SS. Eccles. Nov. 7. p. c. 4. B. Dn. Ziegl. de dote Ecclesie c. 8. §. 28. & 29. Constitui autem precariam posse tam cum pensione, quàm sine pensione ex Nov. Leonis 13. formulis apud Marcalph. tit. 19. 20. 22. Lebman. Lib. II. c. 43. p. 179. Goldast. Rerum Alemannicarum: T. II. P. 1. n. 66. tit. 2. LL. Alemannicarum*

XXIX. Volunt Canonistæ etiam si precariæ pactum, ut certo tempore renovetur, non adjectum, tamen quinquennio elapso renovandam esse. *ad cap. 1. X. de precariis. Franzk. de laudem. c. 12. n. 4. 12.*

XXX. Precarium solet & in perpetuum & ad tempus dari: Si de tempore nihil expressum, morte expirat: quoniam ususfructus omnis personæ morte extinguitur, *C. fin. X. c. de precar. conf. L. 4. lib. 2. tit. 18. LL. Longobardicarum.*

XXXI. Contractus superficiarius separatus non datur. Jus enim superficiarium in superficie soli alieni ea lege constitutum, ut certa pensione vel pretio interveniente instar Domini illà frui, & de ista superficie disponere, eamque vindicare possit, tam emptione venditione, quam aliis titulis ad transferendum Dominium habilibus potest acquiri, sive fuerit jam primum constituendum, sive jam ante fuit constitutum. Quænam autem natura sit hujus juris, accuratè exponit more suo *Franzk. tit. Locati Conducti n. 40. de Laudemiis c. 13.* facileque patet, à feudo, forma, & fine potissimum differre. *Franzkii, sententiam defendemus in conflictu.*

XXXII. Bonæ fidei possessor à Vasallo ita differt. Ille dominium habet plenum, sed fictum: hic dominium habet verum, sed utile saltem, & sic minus plenum. Ille Dominum non novit, atque rem tanquam plene suam animo & affectione domini pleni possidet, sicque usufrucapere potest. Hic Dominum novit directum dominium habentem, remque quoad hoc Dominium non possidet, & sic hoc respectu usufrucapere non potest ob deficientem bonam fidem & possessionem.

Ille sub nulla lege fidelitatis possidet; hic vero sub ea lege. *vid. Ludw. c. II. p. 32.*

F I N I S.

Wittenberg, Diss., 1693

ULB Halle
003 586 286



3


L

Sb.

1017







Farbkarte #13

B.I.G.



1693 38.5-6

8

B. V.

JURIS FEUDALIS

io Secunda,

DE

RA, ET
ITIONE
UDI,

quam

ESIDE

RICO HORNIO,

P.P.atq; Collegiorum

hic sunt, Adfessore,

MDCXCIII.

rio fctorum

defendet

CUS FOCK,

ensis.



Prelo Goderitschiano.

